



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Eius amor in Societatem Iesv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

terris, vnumque excellentissimorum Ordinum qui hodie in Ecclesiâ florent. Quam sententiam equidem credo & aliorum esse de Ordinibus quoque suis, ad quem quisque diuinitus vocari semel se existimauit. Quantumuis verò magnificè augusteque de Societate censeret; ideò tamen honestè de alijs quoque Religiosæ vitæ generibus sentiebat, vt nec earumdem familiarum alumni dignius quidquam in earum laudem adferre potuissent; quin imò acquieuisent, applauserentque potius, si disserentem eum audiuissent.

Honorificus derelictis omnibus Ordinibus sermo.

Quemcumque virum Religiosum in plateis obuiam habebat, prior ipse aperto capite venerabatur, comitemque eiusdem officij commonefaciebat. Dicebat hac se ratione

Veneratio in omnes promiscuè viros Religiosos.

in Eremitis honorare S. Augustinum, in Monachis S. Benedictum, in Minoribus S. Franciscum, in Prædicatoribus S. Dominicum, in alijs alios viros sanctitate claros. Enimuerò summa illa quam de Societate imbiberat opinio, admirandos in eo excitabat effectus.

Amor in Societatem IESV.

Ac primò amorem quemdam intimum tenerimumque aduersus Societatem, cuius lætis successibus gestire eum vidisses, sollicitum famæ ac nominis eius sempiterni, quam Matrem scilicet appellabat. In quanto autem beneficio duceret, Religioni se esse adscriptum,

Exoscula-
tur status
sui vestem.

scriptum, vestibulque Religionis indutum, arguit insignis quidam pietatis actus, quem manè, inter vestiendum quotidie exercebat, imitatu dignum, atque his ab eo verbis expressum: *Cum tunicam tenebis manu, prius quam induaris, exosculare, letus te etiamnum dignum esse, qui vestiarius insignibus Christi.* Atque hunc amorem erga Societatem eiusque vestem ad vltimum vsque vitæ spiritum conferuauit; petita etiam in eâ veste moriendi facultate, vti mox referetur. Excellens hæc de Societate opinio, ardensque in eam affectus, non solum illi conciliabant summam in eâ viuendi quietem atque oblectationem, sed & suauissimam sæpè teneritatem, quam semel iterumque mihi significauit, scriptoque expressam reliquit. Ac primùm quidem, mense Decembri anno M. DC. XX. his me verbis compellauit: *Contentissimus viuo in vocatione meâ, & magnam sæpè sensi animi teneritudinem erga Societatem.* Iterùm, mense Iunio anni M. DC. XXI. prius ferè bimestri quam è viuis abiret, *Viuo, inquit, maximè contentus: numquam, laus Deo, tentatus fui; & hoc semestri talem affectum sensi erga Societatem, qualem numquam antea.*

Dicere solebat, sperare se, duabus præcipuè rebus Societatem diu incolumem fore. Primâ, quòd malis omnibus in eâ pateret ad dimif-